



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XLVI. An ingressus causa sit iusta in puellis, vt honestè in Monasterio
Monialium educentur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

contra Bonacinam, & in posteriori iniuste iure suo priuaretur.

- 3 An autem malefactor iustam ingressus causam habeat, ut periculum iudicis insequentis euadat, quando merito timet fore quod ab illo ex Ecclesia extrahatur?

Respondetur affirmatiue; quia ius tuendi vitam, vel vitandi graue damnum, utpote de iure naturæ, excusat ab obseruantia iuris positiui; cum ius naturale fortius obliget, quam ius positium (quamvis non liceat Monialibus illum admittere; quia dedecet ipsarum statum secum malefactorem intra clausuram admittere. Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina de clausura, quest. 4. par. 4. num. 13. & Lezana verb. clausura, num. 31.) Vide quæ dicuntur dub. 47. cessante tamen periculo debet exire: quod si nolit, & non gaudeat immunitate Ecclesiæ, iuxta dicta cap. 16. per totum, tradi potest Curie seculari iuxta modum præscriptum in Constitutione Gregorij XIV. & nos dicebamus cit. ap. 16. dub. 40. si verò gaudeat, ad minus extrahi debet clausura Monasterij, & poni in alio loco sacro extra illam, data etiam viris in utroque casu ad eum clausura eiciendum facultate, sicuti supra dicebam, & docet Rodriguez cit. art. 4. vers. nec his obstat, ubi subdit, iuxta ea, quæ supra dicebam, non esse opus in hoc casu recurrere ad Superiorem longe distantem, cum periculum sit in mora, sed sufficere consensum Abbatis, & discretarum.

DVBITATIO XLIV.

An ingressus causa sit iusta Monasterij oeconomo ad querenda instrumenta in Archiugio intra clausuram esistenti?

SVMMARIVM.

- 1 Oeconomus Monasterij habet iustam causam ingrediendi clausuram ad querenda instrumenta in archiugio, si id fieri necesse est, & commode præstari per Moniales non possit.

Respondetur ex dictis affirmatiue, quando id fieri necesse est, & fieri commode non potest per Moniales, præsertim si nesciant id facere. Vide Llamas loc. supra cit. §. 6. & Lezanam verb. Clausura, num. 30.

DVBITATIO XLV.

An ingressus causa sit iusta in baiulis Monasterio necessaria intromittentibus?

SVMMARIVM.

- 1 Baiuli Monasterio necessaria intromittentes, si ea sint onerosa nimis, nec possint Moniales subleuare, iustam causam habent ingrediendi.
 - 2 Hortulani iustam causam habent excolendi causâ hortum.
 - 3 Deponens in Monasterio notabilem quantitatem pecuniarum, si sit benemeritus Monasterij, iustam causam habet ingrediendi, si ad illam deponendam non esset alius locus tutus, & si exigeret charitas.
- Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars I I.

- 4 Ingressus in Monasterium permissus videtur ob utilitatem Monasterij, vel si sic ius natura, vel diuinum suadeat.

Respondetur ex dictis etiam affirmatiue, quando ea sunt nimis onerosa, ut non possint commodè per Moniales, utpote debiles, & delicatas, introduci; quia tunc adeit moralis necessitas. Accedit, quia iam sic usu receptum est. Miranda de Monialib. q. 2. art. 17. ad fin. Bonacina quest. 4. & Llamas §. 6. ubi et propter eandem rationem idem docent de hortulanis causâ horti interioris rigandi, & excolendi; secus tamen de pharmacopola ad potionem medicam infirmis porrigendam; quia hoc fieri commodè potest per ipsas Moniales: quamvis si esset opus ingredi pharmacopolam, ut doceat Moniales aliqua medicamenta condire, liceret tunc eius ingressus; quia tunc est de eius ingressu necessitas moralis, uti dicebam supra dub. 40.

Cæterum, an ingressus causa sit etiam iusta ad intromittendum depositum pecuniarium in magno pondere, quod propterea commodè non possit similiter introduci per Moniales?

Respondetur affirmatiue, etiam si tamen deponens sit benemeritus, saltem in spe, de Monasterio; vel si ob alias circumstantias, v. g. quia ad illas deponendas non esset alius locus tutus, sic exigeret charitas. Alias non, quia tunc nec Monasterij utilitas, nec charitas locum haberet, siquidem ingressus in Monasterium permissus videtur ob utilitatem Monasterij, vel si sic ius natura, vel diuinum suadeat.

DVBITATIO XLVI.

An ingressus causa sit iusta in puellis, ut honestè in Monasterio Monialium educantur?

SVMMARIVM.

- 1 Puella ut honestè in Monasterio educantur, iustam ingressus causam habent.
- 2 Ingressus puellarum ut educantur in Monasterio non est intrinsecè malus, imò est aliquo modo necessarius, & ideo permittitur de Episcopi, seu Superioris licentia.
- 3 Ingressus puellarum censetur iustus. Primo si non repugnet instituto Religionis. Secundo si recipiendi sit consuetudo. Tercio si accedat consensus Abbatis & Monasterij licentia Superioris in scriptis obtenta. Quarto ut sent sine famulabus. Quinto, ut egredi & regredi nequeant. Sexto, ut sint minores 25. annis, & ultra 25. atatis annum in Monasterio non retineantur. Septimo, ut habitu conuenienti utantur.
- 4 Puella, quæ completo 25. anno non egrediuntur, nec Monialium Prælatæ, quæ retinet, excommunicacionem incurrit.
- 5 Episcopus potest semina renuenti egredi de Monasterio constituere terminum ad eligendum egressum, vel ad suscipiendum habitum Religionis.
- 6 Ingressus puellarum ut sit iustus ultra septem causas recensitas, requirit tres alias ex præscripto sacre Congregationis Cardinalium, nempe ut non sint supra numerum, ut quolibet semestri soluantur anticipata alimenta, ut sint separata a dormitorio, & laboratorio Monialium.
- 7 Ingressus in Monasteria Monialium prohibitus fuit

à Sixto V. tantum virtute facultatum, quæ à Sede Apostolica hætenus ad id concessa fuerant, non autem virtute iuris communis.

- 8 Privilegia in corpore iuris inserta non comprehenduntur in generali privilegiorum derogatione.
- 9 Privilegiis in Concilio concessis per nullam clausulam quantumvis generalem derogatur, nisi de ipso ob eius gravitatem fiat specialis mentio.
- 10 Puella educationis gratia ingredi non possunt Monialium Monasteria, in quibus non est consuetudo ad dictum finem eas recipiendi, sine licentia Sedis Apostolicæ.
- 11 Puella conditionibus prædictis occurrentibus admitti non debent, nisi completo septennio, & iuxta nonnullorum opinionem debent esse annorum 12. contra Portellum.

Respondetur affirmatiue, quia hoc non est intrinsecè malum, & aliquo modo est necessarium pro Monasteriis Monialium, cum multæ ex prædictis puellis habitum postea suscipiant in Monasteriis, in quibus educantur: quapropter videtur permissum à Tridentino Concilio, quatenus ab ipso permittitur ingressus in Monasteria Monialium de licentia Episcopi, vel Superioris in casibus necessariis, sess. 25. num. 5. Vnde & sic docent ex declaratione Cardinalium Cuchus lib. 3. Instit. Minorum, tom. 2. num. 11. Nauar. Comment. 4. num. 67. vers. 5. de Regularib. Rodriguez tom. 1. quæst. 46. art. 10. Azor. tom. 1. lib. 3. cap. 8. quæst. 4. Sorbus in compend. privileg. 2. part. verb. Ingressus Monasterior. Monial. vers. de puellis autem, Suar. tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 10. num. 21. Quaranta verb. Monasteria Monialium, colum. 1. Miranda de Monial. quæst. 2. art. 6. Barbosa de offic. & potest. Episc. alleg. 102. num. 61. Fuscus de visitatione, & regim. Eccles. lib. 2. cap. 19. num. 27. & 28. Confectius in privileg. Mendicantium, tit. 20. cap. 7. Sæ verb. Monasterium, num. fin. Peyrinus tom. 2. privileg. Minim. in Constit. 6. Pij V. num. 10. & Zerola part. 1. verb. Moniales, ad 10. quæst. dummodo hæ conditiones concurrant. Prima, vt institutum Religionis, vel aliud aliud non repugnet. Secunda, vt Monasterium tales recipere consueverit. Tertia, vt Superioris licentia in Scriptis obtenta, & Abbatissæ, Monasterique consensus accedat. Quarta, vt sine famulabus in Monasterio commorentur. Quinta, vt clausura egredi, ac semel egressæ iterum admitti non possint (nisi egrederentur causa medendi morbo, & ex licentia Superioris, vel quia Moniales effici volunt, sicuti declarauit S. Congregatio, teste Rodrig. Sæ, & Zerola in locis supra cit.) Sexta, vt sint minores 25. annis, & ultra vigesimum quintum ætatis annum in Monasterio non retineantur (quamvis putem, nec puellam, quæ completo vigesimo quinto anno non egreditur, nec Monialium Prælatissam, quæ retinet, excommunicationem incurrere, quia puella non illicitè est ingressa, nec S. Congregatio in tali casu excommunicationem imposuit, etsi possit, & debeat Episcopus huiusmodi feminæ constituere terminum ad eligendum egressum, vel habitus Religiosi susceptionem, sicuti S. Congregatio decernit, teste Campanil. rubr. 12. cap. 16. numero 29. Francisco Leone in Thesouro fori, part. 2. cap. 16. numero 54. & Barbosa de offic. & potest. Episc. 3. part. allegat. 102. num. 65.) Septima, vt vestitu honesto, & virginibus conuenienti in Monasterio vtantur; sic Doctores in locis supra cit. vbi ex altera declaratione Cardinalium ad septem supradictas conditiones tres alias addunt: Primam, vt non sint supra numerum præfixum. Secundam, vt quolibet se-

mestri soluantur anticipata alimenta. Tertiam, vt sint separatæ à loco Monialibus, & Nouitiis ad dormiendum, & manuum operibus vacandum destinato.

Obiicies. Sixtus V. in quodam Motu suo (quem refert Rodrig. cit. quæst. 46. art. 6.) reuocat omnes à Sede Apostolica, & à se mulieribus cuiuscumque status Monialium Monasteria ingrediendi, & ibi ad tempus permanendi licentias concessas, iubetque iam ingressas egredi, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sibi reseruata contra cuiuscumque, qui tale decretum ingrediendo, vel ibi permanendo violauerint: ergo.

Respondetur cum Rodriguez, Sixtum V. in illo Motu prohibere tantum, ingredi, & permanere in Monasterio virtute facultatum, quæ à Sede Apostolica hætenus ad id concessæ fuerant, vt colligitur ex eius tenore, ibi: *A Sede Apostolica, & à nobis concessa*; non autem prohibere ingressum virtute iuris communis, & Concilij Tridentini concessum. Quæ responsio eò magis vera est, quia in generali privilegiorum derogatione non comprehenduntur facultates, & privilegia in corpore iuris inserta. Gloss. in l. hæres absens, in princip. ff. de iudic. & in Authent. qua in provincia, verb. Illic, in fin. Cod. vbi de crimine agi oport. Felin. cap. 1. de rescript. num. 12. Lopez l. 2. tit. 8. part. 8. Perez lib. 4. ordin. tit. 4. l. 22. & alij multi, quos citat, & sequitur Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 40. num. 25. tum quia per nullam clausulam, quantumvis generalem, derogatur privilegiis in Concilio concessis, nisi de ipso, ob eius grauitatem, fiat specialis mentio. Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 26. num. 7.

Instabis: Sacra Congregatio Episcop. (quam refert Gauantus in Man. Episcop. verb. Monialium educatio, num. 8. Lezana tom. 1. cap. 25. num. 25. Bonacina de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 3. num. 30. & de claus. quæst. 4. punct. 4. n. 16.) expressè decreuit, puellas educationis gratia ingredi non posse Monialium Monasteria sine licentia Sedis Apostolicæ: ergo.

Respondetur, id intelligi tantum de iis Monasteriis, in quibus non est consuetudo tales puellas ad dictum finem recipiendi; iuxta ea, quæ supra dicebam, & sic concordantur declarationes de hac re diuersæ, quæ inter se prima facie videntur pugnare.

Cæterum, vt puellæ, conditionibus prædictis concurrentibus, iustè admittantur, requiritur etiam, quod septennium compleuerint; quia dedecet infantulas, quasi in cunis, & cum nutricibus in Monasterio retineri; & ita colligitur ex facultatibus, quæ à S. Congregatione Cardinalium ad has puellas admittendas conceduntur in his verbis: *Dummodo maiores septennio sint*, &c. Vide Dianam 3. part. tract. 2. resol. 131. & Zerolam verb. Moniales, ad 11. quæst.

Et hoc adeò verum est, vt Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 17. & Hieron. Rodrig. in Compend. 99. Regul. resol. 27. num. 16. putent à Superioribus non posse has puellas admitti, nisi habeant 12. annos: quamvis contrarium minùs rectè sentiat Portell. in addit. ad dub. Regular. tenens, dictas puellas posse admitti, vt suo tempore profiteantur, etiamsi sint ætatis infantilis, nondum attingentes vsum rationis, in tertio verbi gratiæ, vel quarto ætatis anno.